

viunt. Calor autem quovis modo, tum in diæta, tum in curatione conciliandus est corpori, cum alioquin transpiratio per cutim necessaria intercipiatur, nec medicamenta extrinsecus, nec intrinsecus adhibita finem suum commodè consequi possint. Varii modi calefaciendi corpus, vel poros cutis aperiendi, procuranda leucophlegmatia proponuntur in *Fernelii Patholog: l. 6. c. 8. p. 152.* Indicatur autem ibi inter alia, quòd ejusmodi ægrotus in clibanum extractò pane tepentem retrorsum immitti debeat, conservatâ capiti integrâ respiratione: verùm quis facilè ex se placentam pistorio in furno coqvendam faciet: hujus loco itaqve vaporaria, stuphæ, aut sudoria & similia adminicula arripi possunt, de quibus mox plura innotescunt. *Avicenna* etiam & alii autores pro exsiccandis corporibus ac eorundem humore abundante imminuendo extrinsecus arenæ à sole calentis, vel solis ipsius calorem corpori conciliandum aliquoties commendant.

Præterea quod balnea calida crassis ac pingvibus corporibus conferant, quia calefaciunt, evacuant & cutim laxant, docet *Sam: Hassenrofferus in officina latrica p. 202. & 203.* In loco ultimo indicat etiam autor, quòd ii longiorem moram ferant in balneis, quàm macilenti & debiles. Balnea pluries quoque laudat *Galenus*, veluti annotat ex eodem *Cachetus l. 4. p. 269.* Alios plures, qui pariter vim illam non derogant balneis, siccò pede iam præterimus. Valent quoque pariter thermæ diluere ac diminuere obesitatem, veluti de exemplis usûs harum opportuni, uti etiam de modo ac ratione utendi illis, scriptores de iisdem peculiariter agentes evolvi possunt. Sic Medici, qui singulis annis ad thermas accedens, propter deponendam pingvedinem, felicissimos successus persentivit, mentionem facit *Mercurialis l. 4. p. 35.* Svasit etiam thermas cuiuspiam *Platerus l. 3. obs. 548.* Quòd verò diutius obesi thermis insidere debeant quàm macilenti, inculcant nonnulli autores describentes thermas; de quo etiam in *Gobelii Hydriatria Witsensii ab Excell: Christ: Garmanno denuò edita p. 177.* mentio fit. Thermas suas arte confectas quoque svadet *Molitor de therm:*